

# PALAESTRA LATINA

## SUMMARIUM

Andreas Avenarius lectori	
Atlantidos summarium,	(VIÑAS)
Ulixi Kansu-tibetano,	(VIATOR)
Commercium Epistulare,	(MARTIJA-ZUBIRIA)
Moleae Subterraneae,	VIATOR
Nova et Vetera,	(JIMÉNEZ)
Grammaticalia,	(DELGADO)
Cursus Gymnasticus,	(ZUBIRIA)
Aenigmata,	(PALATA)
Jocosa,	(JUVENIS)
Epheborum Exercitationes.	
Mirifica Portenta,	(MARCOS)
Bibliographia,	(JIMÉNEZ)

## Andreas Avenarius lectori

Est mihi ad manum tomulus excusus Monachii typis Mariae Magdalenae Riedlin, viduae, sumptibus Johannis Andreae de la Haye cum gratia et privilegio S. C. M. anno 1726. Complectitur praecepta et exempla, quae ad poëticam facultatem pertinent, discipulis pariter ac magistris perutilis.

Quae ibi conlecta sunt exempla metricae artis renatae, tam sunt elegantia, ut ad veteres adcessisse, veteribus pares esse fatendum esse videatur. In eo igitur libro inveni etiam hoc carmen, quod ego oblectamento fore lectoribus nostris arbitratus, duxi proferendum. Est autem sic:

Potio cocholati litterarum studiosis saluberrima.  
Nam quis ab extremis jucundum munus Iberis  
Mittat liba mihi, laeto quae Mexica partu  
Progenuit tellus et odoro condit amomo?  
Scilicet ille novos potus dat vatibus ignes  
Inspirat dignos ipso vel Apolline versus.  
Ahl memini ambrosium si quando haurire liquorem  
Contigerit, sensi sub pectore crescere vires  
Insolitas, aestuque calescere corda benigno.  
Haec mea liba juvant: tam dulci nectare dives,  
Bacche, tuos latices tua jam tibi, Bacche, relinquo,  
Pocula seu calido quae fert Burgundia tractu  
Seu quae laeta magis gremio Campania fundit.  
Non capiti nocet ille liquor numerumve lucernis  
Ingeminat crudosve ciet sub corde tumultus.  
O Grajorum utinam vitalis succus in oris  
Crevisset quondam! Tu qui vinosus, Homere,  
Laudibus argueris vini, meliore tulisses,  
Desertor Bacchi, cocholatum ad sidera versu.

---

Corrigenda: Pag. 15, num. 59 in articulo «Beatae Virginis praesidium» linea 5 pro «vi 141 sim...» lege, «visus sim...» In hoc quoque articulo linea 2, columna secunda pro «exienasque» lege, «exiensque...»

# PALAESTRA LATINA

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes.\* in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, manuscripta autem ad Moderatorem

ADMINISTRATIO:	DIRECTIO:
Z A R A G O Z A - España - Avenida Siglo XX, 37	A L A G Ó N (Zaragoza) España - MISIONEROS

## *Atlantidos summarium*<sup>(1)</sup>

**Introductio:** Duae naves, Ligur una, altera Veneta, se in alto offendunt, et pugnam committunt. Gravis ingruit tempestas; fulminis ictu ardet pulvis pyrius unius navis, quae fissa alteram in abyssum trahit. Milites et nautae submerguntur; unus tantum fit salvus, adolescens Ligur, qui mali fragmine bracchia nectens litus appellit. Senex, sapiens vir, qui, missis mundi rebus, vitam juxta mare degebat, naufrago obviam venit; quem ad simplex Virginis altare, mox ad suam caveam saxis ramisque structam, conducit, ubi ejus vires reparat. Aliquot post dies, observans nautam oculos ad pelagus convertere meditabundum, veterem circa id ei narrat historiam, ut a passo naufragio sublevet.

**Cantus Primus.** — *Pyreneorum Incendium:* Teyde. — Hispania nascens. — Vox abyssi. Ad Deum ultionum invocatio. — Vorax excitatur incendium Rhodam inter Canum Jugum, quod nemora et greges extinguit. — Tudes Roldani. — Incendium Pyrenem circumquaque obtinet. Cui Hercules succedit, postquam gigantes insulae Craighi percussit et Pyrenem e flammis eripit. Haec illi pandit se esse postremum stirpis Tubal germen et Hispaniae reginam, modo a Geryone e throno ejectam, qui ut effugium in montana ei praeccluderet, opaca horum nemora succendit. — Pyrene moritur, cui Alcides mausoleum erigit saxis structum in montium extremo, quos mari adporrigit. Rivuli auri et argenti, ex ignitis rupibus in planitiem fluentes. — Conflens et Portus Veneris. — Heros in montem Jovis gressus fert, unde fretum legit, spondens se urbem ad illius montis radices conditurum.

**Cantus Secundus.** — *Hesperidum Hortus:* Tarraco. — Amnis Iberi ostia. — Insulae Ophiussae. — Valentia et Promontorium Artemisium. — Roldani mucronis ictus. — Muley Hacem. — Heros e navi excedit; et Geryon, ut eum perdat sermonem de regina Hesperide instituit et de ramo mali aurei, quem reginae obferat ne-

(1) in fasciculo 58 quaedam vulgavimus in *Atlantidos cantus* a carissimo socio P. Josepho Jiménez scripta. Juvat nunc elmi. Verdaguerrii vatis totius velut conspectum poematis seu summarium proponere quo clarius pateat tanti poetae vim aciemque ingenii.

cesse est, qui eam sibi sponsam copulare velit. — Atlantidis descriptio. Hortus malorum aureorum. — Hercules, interfecto dracone mali custode, supremum ramumprehendit. — Septem sorores plangentes memorant Atlantem moribundum dixisse signum patriae ruinae draconis necem futuram. — Triumphalis Atlantum in Orientem expeditionis commemoratio. — Horum profligatio. — Sinistra Hesperidum auspicia.

**Cantus Tertius.** — *Atlantes:* Atlantes in Neptuni fano congregantur. Supremi ducis adlocutio. Fatalia ejus auguria. Eos interrogat, qui de longinquo veniunt, quasnam notitias in medium adferant. Quidam, de occiduis oris adveniens, declarat dimidiam harum partem freto fuisse submersam, alius, e Thules finibus recens advena, infaustum e borealibus auroris omen canit. Titan e via australi inopinato pervenit, qui, adhuc tremiscens, narrat se salvum e gladio igneo evasisse, quo ejus socii consumpti. Interea fanum terrae tremitu commoveri percipiunt, dum triumphalis Neptuni simulacri caput fulminis ictu dejicitur. Hesperidum clamorem audiunt, et arbores et atrii columnas pro armis adripientes inpetum in Herculem faciunt. Acris pugna.

**Cantus Quartus.** — *Fretum Herculeum Apertum:* Heros, vi humanam excedenti impulsus, terga hostibus vertit. Mali aureae scapum juxta Gades humo committit. Calpem ascendit, montem scilicet, qui, Atlantidis caput, Europam cum Africa connectebat. Cum illum clavae ictibus scinderet, Exterminatorem esse novit, qui ejus brachium dirigit. Angelus iratus ei luctam ostendit elementorum cum ingenti victima. In vindictae clamorem erumpit. Desuper, e caeli medio, Altissimus Sententiam in Atlantidem fert, ut e mundo radatur; in hunc vero, ut in continentes dividatur. Hercules una cum pelago in terram damnatam penetrat.

**Cantus Quintus.** — *Cataracta:* Exterminii Genius invocatur. Gemitus terrae paene mersae. Inpetus aquae, quae per Calpen quassatam praeceps in terram ruit. Undarum subversio cum Atlantidis spoliis. Hercules, aestuaria et agros permeans, Hesperidem quaerit, lucem pro raeda praebente arbore succensa. Hesperis illum prospicit, et vale filiabus suis dicit.

**Cantus Sextus.** — *Hesperis:* Atlantes montem ascendunt tecta structi, quibus a novo diluvio tuti servantur. Hesperis heroi obviam it. Cui amorem suum erga Atlantem et cum eo connubium narrat, aerumnas et sinistra vitae suae fata pandit. Hercules eam uxorem ducit, et, ea umeris inposita, iter Gades versus revolvit. Languens Hesperides vale agnis et avibus dicit supremum, in quibus sibi sitae fuerant diliciae. Titanes tectorum fabricam urgent. Hac fere perfecta, suam matrem animadvertunt cum Graeco effugisse, quem cyclopeae fabricae fragmentis impetum, e monte descendere cogunt. Qui inter saxorum crepitum et aquarum inpetum fugam praepropere adripit. Horrenda Hesperidis visa inter tenebras. Fulmen mag-

nam Atlantum urbem succendit, qui, illius fulgore ducti, Herculem prope adsequuntur.

**Cantus Septimus.** — *Chorus Insularum Graeciae:* Episodium. Fretum Herculeum dilatatur, quo Mare Internum aquas properantius sinit, novas insulas novaque continentia prodens. Graeciae excitatio. Delos. Cyclades. Echinades. Peloponnesus. Sicilia. Lesbos. Tempe. Aevum renascens. Herculis apotheosis.

**Cantus Octavus.** — *Demersio:* Diluvium ardua premit; et undae Borealis et Australis marium, prouti Occidui et Interni, confunduntur. Hercules Gadium muro succedit. Sinit Hesperidem ab umeris Geryone rapi, qui saxum ingens in illum deturbat. Ab undis Hercules resurgit, et perfidum interficit. Arbor drago pullulat, quae sanguine ad ejus sepulcrum manat. Hesperis e rupis lingula tristissimum vale dicit terrae, quae disparet, et phantasiae deliramento capitur. Alcides, promontorium jam tenens, gigantem Antaeum leto tradit, et ejus cadavere armatus Harpyarum, Gorgonum et Stymphalidum genus adgreditur ac exstinguit.

**Cantus Nonus.** — *Turris Titanum:* Atlantes, undarum aestu quasi fracti, praeruptos montes ascendunt, undis nondum commotos. Gades tenere in desperatis habentes, liberare e diluvio intendant caelum scandendo. Turris syrtibus et montium fragmentis structa tres digitos e caelo distabat, cum corruit; Atlantes, horribiles diras obcinunt, et dirutae fabricae fragmina in Deum jaciunt. Elementa in eos Exterminator instigat, qui secante gladio Atlantidis abyssum in terra adaperit. Quo Titanes deprimuntur; et ex eorum sepulcro igneus Nevariae mons dissilit. Gladium ignitum in vaginam mittit Angelus, qui aethera petit, vale alteris continentibus dicens, usque ad diem Judicii. In excelsis hymnus gloriae Altissimo decantatur. Atlantidis, quae fuit mundorum regina. Teydes vox. Terrae motus in insulis atlanticis.

**Cantus Decimus.** — *Nova Hesperia:* Digressio: sapiens anachoreta lumina ad suam patriam vertit. Hesperidis somnium. Ramum mali aureae ab Hercule plantatum recognoscit. Terrae submersae desiderio capitur. Hortus malorum aureorum in Hispania renascitur. Septem Hesperides in sidera conversae. Cantus cygni. Hesperus. Filii Herculis et Hesperidis. Regina e solio deturbata. Gallegia et turris Herculis in Portu Brigantino. Elcanus. Lusitania. Sagunthum. Carmen Majoricae. Barcino conditur. Vox montis Taber. Hispalis. Deus ignotus et ejus templum Gadianum. Hercules fines terrae inponit columnas «NON PLUS ULTRA».

**Conclusio.** — *Columbus:* Anachoretæ verborum ergo, Ligur mundum novum in sua phantasia nasci advertit. Bonus senex stimulos sermone opportuno ei addit. Columbi condiciones Genuae, Venetiis et Lusitaniae latae. Somnium Elisabeth. Monilium Reginae pondere ille naves comparat. Senex, e promontorio, illum videt ad orsorum maximum evolare, et ecstasi rapitur ante futuram patriae magnitudinem.

† THOMAS VIÑAS, SCH. P.

# ***Ulixi kansu-tibetano***<sup>(1)</sup>

*Germaniae lux ac Monachi decus,  
Heros Ulixes noster et Hercules,  
Captive*<sup>1</sup> *quondam «Fi-chien-sen»*<sup>2</sup>,  
*Pro meritis peragas triumphum!*

*Magnetica vi tractus ad intimam  
Terram Tibeti tempora languida  
Expertus es, duros labores,  
Gaudia, delicias coruscas.*

*Germanus alter continuo juvat,  
Gervasius*<sup>3</sup> *te, Vesaliae faber,  
Frater sagax, industriosus,  
Impavidus, vigil, auspicatus.*

*Caros amicos ac socios cito  
Prudens requiris; concilias tibi  
Interpretes linguae Sinensis  
Et famulos agiles ministros.*

*Jam bajulantes yaks*<sup>4</sup> *adhibes equos  
Tauros onustos molibus arduis;  
«Nurri»*<sup>5</sup> *canis, «Tschucktschuck»*<sup>6</sup> *camelus  
Adsidue tibi blandiuntur.*

*Montes nivosi*<sup>7</sup> *diluvies, gelu,  
Grex muscitarum, nox nigra, nebulae,  
Morbi, fames, furtum nefandum  
Proditio tibi sunt molesta.*

*Multo magis te maestitiis diu  
Mores replent, qui per famulos pigros  
Vulgantur inter commeatum,  
Qui sequitur dominum jubentem.*

*Praetor*<sup>8</sup> *Ma-hu-schan carcere te tenet  
Injustus arcte per vigiles feros;  
Fu-kwan-schan et Ma-tsching, Gorilla  
Discruciant, lacerant, minantur.*

*Ast liberatum Srinagar*<sup>9</sup> *Indiae  
Sol te salutant; excipit et colit  
Europa gaudens laudibus nunc,  
Praedicat et cumulat coronis.*

## NOTAE

- 1 Filchner septem menses injuste detentus est a Padischah, h. e. «regulo» Ma-hu-scham, quod magneticis suis astronomicisque instrumentis uteretur cum damno terrae Tibetanae.
- 2 Fi-chien-sen est forma Sinica nominis Filchneri.
- 3 Gervasius nomen religiosum est fratris laici Societatis Steylensis, qui in bello mundi fuerat miles Germanus. Natus in urbe Wesel hic Vesaliae faber (mechanicus) vocatur. Is frater Filchnero interpres fuit et ductor comitatus in expeditione annorum quattuor, ab 1934 ad 1938.
- 4 Yaks sunt genus boum Tibitanorum, boves grundientes dicas.
- 5 Nurri est nomen a Filchnero inditum praestantissimo expeditionis cani.
- 6 Tschucktschuck idem adpellabat optimum camelorum suorum.
- 7 Filchner superabat montes glacie rigentes et nivibus, non raro altos plus quinque milia metrùm.
- 8 Praetor est quem supra memoravi Padischah.
- 9 Srinagar Kaschmiri urbs habitatur a nonaginta milibus hominum.

ANT. ER. VIATOR, S. D. V.

(1) **Praefatiuncula.** — Gulielmus Filchner, natus die 13 mensis septembris anni 1877 Monachii Bavariae, cum fuisset major officarius, totum se contulit ad pervestigationes terrae. Tibetaniam primum ingressus est anno 1903, anno 1910 praetergressus est Spitzbergen, anno 1911 et 1912 praefuit expeditioni Germanorum in antarcticam terram, anno 1926 Sinam deinde Tibet ingressus perquisivit terrae illius rationes magneticas, anno 1934 in Kansuanam provinciam et in Tibetaniam profectus, quattuor annos auxit scientiam naturae illorum finium. Cum revertisset in Germaniam mense decembri superioris anni (1938) venit Steylam, domum missionum exterarum Societatis Verbi Divini, ubi sermonem habuit de suis per Asiam itineribus. Salutatus est ab Steylensibus cantu et fidibus et hac P. Viatoris, venerandi senis, oda quae Filchnero in primis placuit cum ejus versibus multa revocarentur in memoriam quae in illis reconditis regionibus egerat et quae passus erat. Filchner autem cum adeo profectus sit aetate et aerumnis itinerum debilitatum habeat corpus, novam parabat expeditionem annorum quinque, quae in regna procederet Nepal et Afghanistan.

# **Commercium Epistulare**

*Henricus Martija, C. M. F., Macario López de Zubiria, C. M. F.,  
Moderatori inlustrī PALAESTRAE LATINAE, S. P. D.*

Jamdiu ad te dare litteras constituorā, ut de omnibus quae ad me misiſti rescriberem et de eorum receptione certiozem te facerem.

Librum accepi et poēmata corrigenda, quae quidem digna sunt quae in lucem edantur, quippe a bonis poētis et accuratissime exarata.

De articulo a me conficiendo, ut nunc se res habet tibi placere non possum; serius tamen placitis tuis obsequi curabo. En tibi, ut opportuno tempore edatur, scriptum «De usu exemplorum in syntaxi linguarum classicarum docenda» a P. Fantini, S. J. redactum, cujus exemplar ineditum, a communi ruina mirifice servatum, inveni in Cervariensi Bibliotheca.

Amicos et conscriptores Alabonenses tuosque discipulos meo nomine meorumque discipulorum salutabis. Vale.

Dabam Barbaſtri.

*Macarius López de Zubiria, C. M. F., clarissimo Poētae atque  
Rhetorices Professori, Henrico Martija, salutem.*

Duplici, mi Henrice, adfectus sum laetitia, et tuis litteris, eisque gratissimis, sicut omnia quae a te proficiscuntur, et tui articuli nuntio, a lectoribus PALAESTRAE LATINAE degustandi. Laboribus multis jam te impeditum sciebam et sacerdotalibus et scholaribus necnon et musicis; tua autem voluntas atque Latinae linguae familiaritas tibi vires praebebunt ad articulorum conscriptionem. Tuo nomine PALAESTRA honore adficietur ipsiusque lectores tuis recreabuntur scriptis. Adcedant, ergo, adcedant eluubrations atque tua poēmata.

Recepi exemplar quod a Patre Fantini conscriptum, opportune Latino Commentario inseretur. Nonne et tu adduceres, ut casus tui —narratu quidem digni— in lucem edantur? Carissimus litterarum Latinarum magister, Andreas Avenarius, qui praestantissimo nunc Romae insignitus est munere, et cui toto corde gratulor, tuam exspectat relationem et ego. Patefactae igitur sunt fores PALAESTRAE eventibus quos apud marxistas magno quidem vitae discrimine subiisti. Non inmerito Avenarius a communistis vexatum atque necatum te aliquando arbitratus est. Tirschenreuthensis Professoris jam evanuerunt anxietates. Gratias quam plurimas Omnipotenti Deo agamus qui inter maris procellas incolumem te servavit. Tuane scripta ceteraque id genus erepta quoque fuere a marxistarum furore? Quanta fortunarum ruina!

Quid de discipulis? Mitte, quaeso, eorum scriptiones, quae in nostro commentario inscribantur, atque aenigmatum solutiones epheborum ingenio exacuendo aptissimorum. Vale. Tibi semper obsequētissimus. — Alabonae.

# MOLEAE SUBTERRANAE

- METRANUS** Nisi nobis complacuerit, nonne?... Bellissime! neque tamen firmiter tuis consiliis confido. Tu maneat hic. ego discedam, neque enim opto, ut me videat Caecilius. Qui post tempus exiguum aderit hic, at fac cures, ut ne digito quidem attingatur! (*secum loquitur*). Nefandum! Me praevenit... neque tamen despero .. Probus (*haec verbo loquitur abiens*) divitiis abundat et magna redemptionis pecunia thesauri mei duplicarentur.

## SCAENA QUARTA

### Saturnius, Ascanius, Caecilius

- SATURNIUS** Num nos, qui fuimus quondam terrae dominatores, inferiores discedere cogemur religioni Christianae? Atlas sescenti viri fortes ad meum nutum gladios destrinxerunt et nunc abjectus ac suspectus clandestinis consiliis circumspicio exitum sortis meae periclitatae.
- ASCANIUS** (*post scaenae parietes*) Cave, totiens vultum turpiter distorseris! Procede! (*Caecilium intrudens ad Saturnium versus*).
- SATURNIUS** (*voce rauca; non respicit Caecilium*) Caeciliusne es Probi?
- CAECILIUS** (*perterritus*) Quis es tu? Cur me adduxisti huc? Parce mihi, reduc me domum ad patrem!
- SATURNIUS** (*voce gravi*) Ad patrem?
- CAECILIUS** Quid unquam mali in te commisi? Propter quam offensionem me adfecturus es poena? Semper fui cunctis benevolus... ne novi quidem te.
- SATURNIUS** Tacel Optime novi te et patrem tuum, qui intentat tuam ipsius perniciem.
- CAECILIUS** Quid tibi vis? Pater me adamat.
- SATURNIUS** Iste odio me persequitur capitali, me studet perdere, juravit fore ut me obruat contumelia et calamitate miserrima.
- CAECILIUS** Pater meus abhorret a crimine, cujus eum accusas; te fefellerunt.
- SATURNIUS** (*voce tonanti*) Nequaquam fallor: tu, tu capite lues ejus perfidiam.
- CAECILIUS** Ego? At insons sum atque culpa vaco (*genua flectit supplex*) Si tibi est animus humanus, si tibi sunt liberi recordare, quaeso, de illis ac miserere et mei!
- SATURNIUS** Num tuum patrem miseruit mei, cum me proscribere studebat et in miseriam detrudere panem turpidinis atque infamiae conditurum lacrimis?
- CAECILIUS** (*adhuc genibus flexis*) Erras; novi patrem; non ignoro, quanta humanitas in animo ejus insit. Utinam tibi possim demonstrare, quam turpiter tuus animus decipitur! (*Saturnius, qui prius intuitus est Caecilium vultu obscuro, nunc vertitur ad meditationem arcanam*) Sed quid meditaris? Commotus est animus tuus verbis meis? Loquere! Dic, quaeso, quid a me petas!
- SATURNIUS** (*secum loquitur*) Utinam coram me conspicerem patrem ejus superbissimum et lacrimas ejus inriderem!



CAECILIUS Non exaudis me, mi Deus!  
(plorat)

SATURNIUS (post morulam) Velisne ergo  
videre patrem?

CAECILIUS (cito surgens) Volo, domine,  
illico!

SATURNIUS (extrahit ex sinu togae chartam  
pergamenam et calamum) Ac-  
cipe hanc paginam cum ca-  
lamo, et scribe, quae tibi  
dictabo. Adfer, Ascani, sca-  
bellum!

(Ascanius adfert; Caecilius  
paratus ad verba scribenda  
ante scabellum genua flectit).

SATURNIUS (dictat) Mi pater! Moriturus...

CAECILIUS (scribere intermittit) At me in-  
terfectum iri negastil

SATURNIUS (voce horribili) Scribe (Caeci-  
lius scribit dextra tremula)  
mitto tibi ultimum vale.  
(Caecilius lacrimis abstersis  
scribere pergit) Qui me cir-  
cumstant, pauca momenta  
temporis mihi concesserunt  
ut tibi conficerem haec ver-  
ba. Nisi decreti die hesterno  
confecti promulgationem  
impediveris, Caecilius filius  
tuus miserimus antequam  
sol occiderit mortem subi-  
bit.

SATURNIUS (eripit schedam Caecilii mani-  
bus, paginam obiter legit) A-  
beamus Ascani! (abeunt)

CAECILIUS (subsequens eos) Ibo tecum,  
domine! observa quod pro-  
misistil (Ascanius clathros an-  
te oculos ejus claudit) Tos-  
tus solus... hoc loco tor-  
mentorum! Ad inferosne de-  
mersus crucor? (it in angu-  
gulum et considit in lapide)  
Me miserum protege, mi an-  
gele tutelarisl

## SCAENA QUINTA

### Caecilius et Narses

NARSES (prodit) Quid audivi? Quam for-  
midabiles machinationes!  
Hiccine invenitur filius mei  
domini? Juro coram te,  
Deus, fore ut eum servem  
aut cum eo moriar. (Adcedit  
propius) Caecili!

CAECILIUS (exsiliens) Quis me vocabit?  
Quis es tu?

NARSES Nonne jam nosti Narsem,  
quem tanto amore amplexa-  
baris?

CAECILIUS Tutemet, Narses? Nonne a  
patre meo aufugisti mihi que  
parasti multos cruciatus?

NARSES Haec criminatio est injusta;  
non prodidi, proditus sum  
ipse. Aliquando deprehendi  
subito Numidam, cum cla-  
ve adulterina aperiebat pa-  
tris tui nummarium. Clave  
et pecunia e manibus ejus  
ereptis me taciturnum esse  
promisi ei si vitam mutas-  
set. Ex quo mihi videbatur  
amicissimus. Vespera au-  
tem quadam me invitavit,  
ut se a domino exire jussum  
comitarer; prope amphitea-  
trum a duobus viris subito  
oppressus Numidam audivi  
vociferantem: Prendite eum  
fortiter, ne ex manibus ves-  
tris aufugiat! Rixati su-  
mus diu inter nos, sed pos-  
tremo tractus sum huc. Per-  
multa sustinui adhuc tor-  
menta.

CAECILIUS Age, fugiamus alter cum al-  
tero! (comprehendit manum  
dextram ejus abiturus).

NARSES Fieri poterit minime. Unus  
exitus a multis servis custo-  
ditur.

A. ERBM. VIATOR, S. V. D.

(sequetur)

# Nova et Vetera

## I. — VESTIMENTA

- Abrigo.**—*Amictorium*, ab *amicio* (vestir). Latiore significatione, usurpatur pro quocumque amictu.
- Alpargata.**—*Spartea*. Significat proprie soleam ex sparto contextam, quo nomine non tantum *solea spartea* sed per extensionem et *solea cannabina* designatur. Forsan et *cannabina* absolute dicere possis.
- Balandrán.**—*Paenula*, a verbo graeco  $\varphi\alpha\iota\nu\acute{o}\lambda\eta\varsigma$ . Est vestis spissa et fere villosa quae supra tunicam induitur. Ea ecclesiastici utebantur.
- Bata.**—*Tunica, ae*, vestis interior corpori adhaerens, cui toga superinduitur, viris ac mulieribus usurpata olim sine manicis, deinde manicata et cingulo constricta.
- Blusa.**—*Pelusia*. Merito dices. Pelusii in Aegypto primo fuit in usu, unde vestis id genus in ceteras gentes manavit. En tibi originem etymologicam: *Pelusia, blúsia, blusa*.
- Bufanda.**—*Amiculum*, ab *amicio* (vestir), quod etymologice est *am*, i. e., *al rededor et jacere* i. e. *echar*.
- Camisa.**—*Subucula, ae*, a *sub+duco*, quasi subducula, vel a subduo (inusit.) ex Graeco  $\delta\acute{\upsilon}\omega$ , unde *induo*, et *exuo* proveniunt.
- Capa.**—*Toga seu Paludamentum*. Toga usurpabatur pro veste exteriori, communi omnium Romanorum, sicut Graecorum pallium commune fuit. Paludamentum dicebatur proprie de veste militari Imperatorum et duorum exercitus. Ideoque cum ad bellum Imperator exibat paludatus dicebatur proficisci.
- Capote.**—*Sagum, i*, vestimentum quoque militare, apertum et fibula (*broche*) connexum, villosum, longius tunica et crassiore labore confectum quod reliquis vestibus superinduitur.
- Capucho.**—*Cucullus*, pars vestis a tergo pendens qua caput tegitur.
- Corbata.**—*Fasciola*, veluti brevis fascia qua collo obvolvitur.
- Chaleco.**—*Exomis, idis*, vestis substricta et brevis, sine manices a Graeco  $\acute{\upsilon}\mu\epsilon\omicron\varsigma$ , *umerus*, sive quod ex ea umeri exserentur, sive quod illa ex umeris penderet.
- Chaqueta.**—*Tborax, acis*, Sumitur in genere pro quovis munimento corpus tegente.
- Delantal.**—*Cinctus, us*. Vestis infra pectus corpus ambiens et ad pedes pertingens.
- Dulleta.**—*Caracalla, ae*. Vestis ecclesiasticorum lacernae in modum ex concisis pannis consuta, non sinuosa, sed corpori adhaerens et manicata.
- Elástica.** (*Camiseta*).—*Interula, ae*. Vestis interior et corpori adhaerens.
- Esclavina.**—*Clamis, idis*. Vestis fuit militaris aperta, quae thoraci superinduebatur, paludamento similis, sed brevior et minus fusa ex umeris pendens et fibula ad cervicem vel in dextro umero connexa.
- Frac.**—*Thorax caudatus*. Vestis sollemnis a publicis hominibus usurpata.
- Gabán.**—*Lacerna*, genus vestis quae aliis superinduitur. Praecipua ejus utilitas est frigori arcendo, unde ex crassiore panno et villosa fuit.
- Guantes.**—*Chirotheca*. a Graeco  $\chi\epsilon\acute{\iota}\rho + \theta\acute{\upsilon}\chi\eta$ , haud inmerito dici potest, etsi a Forcellinio improbetur.



ORATOR ROMANUS TOGATUS

Cum per rugas in modum baltei implicatur toga, quantam majestatem et honestatem oratori Romano tribuat!



### MILITES MORE ROMANO AMICTI

Videbis tunicam, bracas et in pedibus caligas.  
Nonnulli sagum portant, galeaque et lorica cooperti sunt.

**Sandalia.**—*Crepida* seu *caliga*, genus calcei plani, cortacea solea vel una vel pluribus constans, qua planta pedis, veluti basi innitur.

**Saya.**—*Stolla*, vestis muliebris ad talos usque demissa, sinuosa, rugis plicisque abundans.

**Sobretudo.**—*Epitogium*, vox hybrida ab ἐπι *super*+*toga*. quia supra togam et vestes gestatur.

**Solideo.**—*Apex*, sumitur pro ipso pileo sacerdotali cum hujusmodi virgula in modum coni adjuncte.

**Sombrero.**—*Petanus*, capitis tegmen a πετάσσειν, *extendo*, quod latos haberet margines.

**Tacón.**—*Fulmenta*, solea quae calceo subjungitur.

**Tirantes.**—*Tendiculae*, habet radicem tempus praesens verbi *tendo*, quod nihil aliud sibi vult quam id quod in tensione est aëu.

**Toca.**—*Calvatica*, tegmen muliebre quod capiti innectitur.

**Traje.**—*Cataclista*, vestis est recentissima, optimique coloris, in arca diligenter servata festisque tantummodo diebus induenda.

**Uniforme.**—*Trabea*, genus vestis virgata purpureis pannis; inde illi nomen *trans-viga* < *trabea*.

**Visera.**—*Buccula*, pars cassidis buccam et genas utriusque tegens.

**Zamarra.**—*Mastruca*, est genus vestis vilioris ex ferinis pellibus consutis composita, qua agrestes populi corpus tegebant.

**Zapatilla.**—*Phaccasium*, genus calceamenti e corio.

**Impermeable.**—*Inpluvia*, ab *in* (non), *pluvia*. Quasi vestis pluviae arcendae.

**Jarretera.**—*Periscelis*, ex *peri* (circum) et *skélos* (crus). Circulus quavis ex materia confectus quique crura supra talos ambit.

**Levita.**—*Lacerna*, vestis exterior quae togae superinduebatur et a ditioribus gestari coepta est. Juxta F. Palazzi lacerna erat «mantello corto, leggero, aperto, che si portava sopra la toga per ornamento, ed era fatto di stoffe preziose».

**Librea.**—*Schema*, merito dices, ut ex hisce Plautianis verbis adparet: «Nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini. Quod ego huc processi sic cum servili schema» (Primae decl.)

**Mitón.**—*Manucium*. Est manuum irvolucrum seu tegumentum ad frigus arcendum.

**Manteo.**—*Pallium*, vestis longa, fusa et ampla ecclesiasticorum propria.

**Pantalones.**—*Bracae*, vestis femoralibus valde similis, laxior tamen et longior.

**Pañuelo.**—*Sudarium*, linteum quo sudor faciei detergetur et nares purgantur.

**Pelliza** (Cazadora). Vestis pellita.

**Polaina.**—*Pero*, genus calceamenti praealti ex corio crudo, quod adversus imbres, nives et frigora commodum est.

**Puños.**—*Brachiale*, circulus ad armillae modum in brachii ornamentum.

## II. — CONLOQUIA IN SCHOLA

MAGISTER.—Nonne te pudet in scholam venire pannosum (*andrajoso*) et incomptum (*desgreñado*)? Nonne vides quam culti et de more compta sese praebeant ceteri? Pileum et vestimenta quare non verenda (*cepillar*) curasti?

ALUMNUS.—Tempus urgebat nec praesto erat famula.  
 MAGISTER.—Sit; sed vide, ignavis et inepte, ut pendeant tibialia.  
 ALUMNUS.—Ligulae devictoriae (*ligas*) scissae sunt neque novas ad manus habui. Ab schola egressus, in  
 tabernam (*tienda*) me conferam emendi causa.  
 MAGISTER.—Si calceos saltem abstersisses!  
 ALUMNUS.—Exii domo calceis nitidis, sed lutum in viis ita emergit ut vix quidem in scholam pervenire  
 . potuissem.  
 MAGISTER.—Heus furcifer! Quid ergo aliud in vita optares?  
 ALUMNUS.—Noli credas, praeceptor: ludus litterarius est mihi in deliciis.  
 MAGISTER.—Cur ergo illum saepissime deseris teque per totum mane follis et pilae ludo inconsulto tradis?  
 ALUMNUS.—Oportet et aliquando mentem relaxare.  
 MAGISTER.—Sed iis qui ad aliquid prius intenderunt. Tu vero, improbe, quid nisi inania et perniciose  
 facis? Nunc idem globulos (*botones*) e thorace evellis. Nescis hoc puerorum incultorum esse? Et  
 cur tunica scholaris (*bata de colegio*) domi reliquisti?  
 ALUMNUS.—Quia dissuta et discerpta erat, eam resarciendam dedi.  
 MAGISTER.—Cura igitur eam cras in scholam deferas; ita enim mos et disciplina postulant.  
 ALUMNUS.—Noli angi, praeceptor: enixe curabo.

J. JIMÉNEZ, C. M. F.

Caesaraugustae, VI Idus Februarii.

## GRAMMATICALIA

### DE PERIODO CAESARIANA

Vernaculae linguae, quanquam numerositate atque in dicendo amplitudine minime careant, primas tamen in hoc Graeca et Latina lingua ferunt. Quoad Latinam linguam sese refert, satis sit nonnulla Caesariana exempla adferre.

Incipiamus a simplicioribus, in quibus oratio princeps cum oratione subordinata varie connectitur.

A) EXEMPLA: *Oratio princeps cum oratione subordinata primi ordinis:*

Haedui, cum se suaque ab iis defendere non possent, legatos ad Caesarem mittunt. B. G. I. II, 2.

Caesari, cum id nuntiatum esset (= Caesar, cum ei...), maturat ab urbe proficisci. B. G. I. 7, 1.

Sed plerumque non duo, sed plures in eodem periodo orationes concurrent, quarum una oratio princeps, ceterae subordinatae primi, secundi, tertii ordinis dicuntur. In sequentibus exemplis signabimus littera P orationem principem, littera S' subordinatam primi ordinis, litteris S'' et s comparate subordinatas secundi et tertii ordinis.

B) EXEMPLA: *Oratio princeps cum subordinatis primi et secundi ordinis.*

I. P — S' — S'' vel P — S' — S'' — S':

Ratio confecta erat, qui numerus domo exisset eorum, qui arma ferre possent. B. G. I. 29, 1.

His mandavit, ut, quae diceret Ariovistus, cognosceret, B. G. I. 47, 5.

2. S'' — P — S':

Haec cum animadvertisset, vehementer eos incusavit, quod quo consilio ducerentur sibi quaerendum putarent. B. G. I. 40, 1.

3. S' — S'' — P:

Ne quis enuntiaret, nisi quibus mandatum esset, inter se sanxerunt. B. G. I. 30, 5.

4. S'' — S' — P:

Qualis esset natura montis, qui cognoscerent misit. B. G. I. 21, 1.

C) EXEMPLA: *Oratio princeps cum subordinatis primi, secundi et tertii ordinis.*

1. P — S' — S'' — s:

Placuit ei, ut ad Ariovistum le atos mitteret, qui ab eo postularent, ut locum conloquio deligerent. B. G. I. 34, 1.

2. S' — S'' — P — S'<sup>2</sup> — S''<sup>2</sup> — s:

Cum ex captivis quaereret Caesar, quam ob rem Ariovistus proelio non decertaret, hanc reperiebat causam, quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familiae eorum sortibus declararent, utrum proelium committi ex usu esset necne. B. G. I. 50, 3.

3. P — S' — S'' — s — s' — P:

Sabianus, ut erat ei praeceptum a Caesare, ne proelium committeret, nisi ipsius copiae prope hostium castra visae essent, ut undique in hostes inpetus fieret, nostros expectabat. B. G. I. 22, 3.

4. P — S' — S'' — S'<sup>2</sup> — P:

Helvetii, seu quod Romanos discedere a se existimarent, eo magis, quod pridie proelium non commisissent, sive eo quod re frumentaria intercludi posse confiderent, nostros insequi coeperunt. B. G. I. 23, 3.

5. S' — S'' — S''<sup>2</sup> — s — P:

Id cum animadvertisset P. Crassus, qui equitatu praecerat, quod expeditior erat quam ii, qui inter aciem versabantur, tertiam aciem nostris subsidio misit. B. G. I. 52, 7.

6. S' — S'<sup>2</sup> — S'<sup>3</sup> — S'' — P:

Quod ubi Caesar rescivit (S'), quorum per fines ierant (S'<sup>2</sup>), his, uti conquirent et reducerent (S'<sup>3</sup>), si sibi purgati esse vellent, imperavit. B. G. I. 28, 1.

7. S' — S'' — S''<sup>2</sup> — S''<sup>3</sup> — S''<sup>4</sup> — P — S<sup>2</sup>:

Cum ad has suspiciones certissimae res adcederent, quod per fines Sequanorum Helvetios traduxisset, quod obsides inter eos dandos curavisset, quod ea omnia inscientibus ipsis fecisset, quod a magistratu Haeduorum accusaretur, satis esse causae arbitratur, quare in eum animadverteret. B. G. I. 19, 1.

J. DELGADO, C. M. F.

Caesaraugustae Nonis Januariis anni MCMXL.

# Cursus Gymnasticus

## Q. Horatii Flacci ad Augustum Caesarem

(Carm. Lib. I. 12) •

Defluit saxis agitato humor;  
concidunt venti, fugiuntque nubes;  
et minax (quod sic voluere) ponto  
unda recumbit.

Romulum post hos prius, an quietum  
Pompili regnum memorem? an superbos  
Tarquini fasces, dubito, an Catonis  
nobile letum.

Regulum, et Scauros, animaeque magnae  
Prodigum Paullum, superante Poeno,  
Gratus insigni referam Camoena,  
Fabriciumque.

*Defluit saxis:* Verba, quae ablativum cum praepositione postulant, multotiens sine ipsa usurpantur, praesertim cum verbum ex praepositione componitur. — *Post hos:* h. e., post Jovem ejusque filios. — *An... an... dubito:* Anaphora In obliqua interrogatione post verba *nesciendi* et *dubitandi* usurpatur particula *an* quae subjunctivum semper postulat modum. «*Nescio an habuisset pacem neminem*». (Cic.) «*Dubito an Venusiam tendam*». (Cic.) — *Fasces:* Fascis est proprie lignorum, aliarumque rerum congeries ligationibus facta. Fasces, de quibus Horatius loquitur, erant fasciculi virgarum, in quarum mediis extabat securis adligata. Ante reges primum, ante

consules et praetores postea a lictoribus fasces praeferebantur, quique potestatem in reos animadvertendi significabant, et populo terrorem inferebant. — *Nobile letum:* Cato Uticensis, ita dictus ab Utica, Africae urbe, ubi audivit Pompejanos a Caesare profligatos esse, sese percussit, ne in Caesaris manus veniret. Cicero laudat hanc mortem. Sanctus vero Augustinus docet Catonis mortem infelicissimam evasisse, neque virtutem ad sese victori subigendum habuisse. — *Prodigum:* Adjectiva quae copiam vel inopiam exprimunt v. gr. liberalis, profusus, pauper cet. genitivum postulant. — *Poeno:* Annibale — Synecdoche — Genus pro specie.

Hunc, et incomptis Curium capillis  
utilem bello tulit, et Camillum  
saeva paupertas, et avitus apto  
cum lare fundus.

Crescit occulto, velut arbor, aevo  
Fama Marcelli: micat inter omnes  
Julium sidus, velut inter ignes  
luna minores.

*Incomptis capillis:* Substantivum exprimens modum, quo aliquid fit. effertur

praepositione *cum* et ablativo; addito adjectivo, effertur ablativo sine praepo-

• Cfr. num. 58

sitione. — *Utilem bello*: Adjectiva quae aptitudinem utilitatemque significant dativum habent *personae*. item et dativum et saepius accusativum *rei* cum praepositione *ad*. Sic in hoc exemplo dici etiam potest «*utilem ad bellum*». — *Saeva paupertas*: Translatio qualitatum ex rebus animatis ad inanimata. Saevitia homini et animalibus tribuitur. Prosopopoeja. — *Velut arbor*: Pulcherrima similitudo. Arbor crescit, nemine incre-

mentum sentiente. Sic fama Marcelli, nepotis atque Augusti generi, ad fastigium pervenit, civibus non sentientibus. — *Julium sidus*: Julius Caesar, in deorum concilium receptus. Poëta incipit laudare Augusti familiam a Marcello, principe omni dote ornatissimo, et quinque consulibus; pergunt postea ad Julium Caesarem, Augusti nepotem, ut denique in ipso Augusto sistat.

Gentis humanae pater atque custos,  
 orte Saturno, tibi cura Magni  
 Caesaris fatis data: tu secundo  
                   Caesare regnes.  
 Ille, seu Parthos Latio imminentes  
 egerit justo domitos triumpho,  
 sive subjectos orientis oris  
                   Seras et Indos.  
 Te minor latum reget aequus orbem;  
 tu gravi curru quaties Olympum,  
 tu parum castis inimica mittes  
                   Fulmina lucis.

*Pater atque custos*: Periphrasis quae Jovi adplicatur. — *Orte Saturno*: Participia et verba, quae ortum vel originem significant, cum ablativo solo junguntur; aliquando cum praepositione *ex*, et in poësi praesertim *de*; etiam cum *ab*, maxime si sermo est de origine remotiore. In genere adhibetur ablativum sine praepositione, cum adjectiva, quae familiam et condicionem exprimunt, comitantur substantiva v. gr. nobili familia, stirpe amplissima... In hoc ergo versu pro «*orte Saturno*» dicitur melius «*orte ex Saturno*». — *Fatis*: abl. agentis — *Secundo Caesare*: Poëta anteponit Caesarem omnibus aliis heroibus - Marcellus, Julius Caesar, Caesar Augustus, Juppi-

ter. Haec est gradatio. — *Inminentes*: Verba «*inminere et impendere*» adhibentur ut intransitiva v. gr. mors inminet mihi a Johanne. Verba autem «*minor et minitor*» usurpantur ut transitiva v. gr. Johannes mihi mortem minatur. — *Seras*: Seres populi erant in Aethiopia. Apud eos altissimae sunt arbores quae non solum folia sed et lanam proferunt tenuissimam ex qua conficiuntur vestimenta. «*Quid nemora Aethiopum molli canentia lana - velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?*» (Verg. 2 Geor. v. 120). — *Te minor*: Inferior quam tu. — *Tu*: Juppiter regnet in Olympo seu in caelo, et Caesar Augustus in terris. His maximis laudibus conficitur oda.

M. ZUBIRIA, C. M. F.

## ***Aenigmata***

1. Bestia sum patiens. Borealis me tulit ora  
Injice pronomen perbreve visceribus!  
Herois magni prodit cognomen avitum,  
cui laus bis seno parta labore fuit.
2. Est liquor, humectat qui flores mane recentes.  
Huic si dentalis consona praeficitur,  
rex Asiae surgit, gregibus praedives et agris,  
urbs sua de cuius nomine nomen habet.
3. Corniger in silvis huc illuc impiger erro  
Vocalis frontem si datur ante meam,  
sum vastus cumulus rerum, congegit in unum,  
quas natura locum terricolúmve labor.
4. Nos operis magni partes sumus et sumus ille,  
exul quo vixit Naso poëta locus.

PROF. FR. PALATA, MORAVUS

## ***Jocosa***

**In Judicio.** — Coram iudice adcusatus est homo quod dominam «asinam» adpellasset. Iudicis verbis sic reus respondet. — Domina, ergo, nequit asina vocari? — Minime, inquit iudex. — Et asina — ait reus — possit «domina» adpellari? — Quidem, quidem. — Quae cum ita sint, tuis pedibus domina — ait adcusatus adcusatrici — tuis pedibus, domina, devolutus.

**Consultatio medica.** — Vir anglicus ad Hannhemán, celeberrimum medicum, adit consulturus. Hannhemán infirmum recognoscit, lagenam deinde ad infirmi nares adfert illique dicit: — Anhelitum redde. Anglicus potentem reddit anhelitum. — Sanus es, ait medicus. Admiratione simulata anglus interrogat, — Quenam stipendia tua? — Mille libellae. Anglus ex cartophoro schedam educit mille libellis respondentem; eaque Doctoris nares perfricat et: — Anhelitum — ait — redde. Et priusquam Hannhemán respondisset, pacate anglus sic locutus est: — Stipendium tuum accepisti.

JUVENIS



# Epheborum Exercitationes

## Stella Maris

Aequor iratum jaculatur undas,  
Tollit in caelum resonans fremore,  
Viscerum fervet furor atque magna  
    Damna laborat.  
Aetherem scindunt pluvium fragore  
Atque dirrumpunt latices strepentes;  
Concidunt caelo subito repulsi  
    Fulminis ictus.  
Nauta! Num turbo, barathrum profundum  
Teque conterrent? Trepidam carinam,  
Numquid ignoras maris in liquorem  
    Nunc cito mergi?  
Tu quid aspectas sitiens in altum?  
Quidque perlustrant oculi venusti?  
Jam videns caelum venies amoene  
    Tutus in oram.  
Si cupit navem veniens procella  
Mergere in fluctus sceleris nefandos,  
Virgo, ne abscondas mihi te micantem  
    O maris astrum!  
Fulgeat lumen rutilans, o Mater,  
Insequar semper radios nitentes,  
Sic ego inducam fragilem carinam  
    Litora caeli.

M. MOLINA, C. M. P.

## Alumni Alabonenses Barbastren- sibus Alumnis S. P. D. (1)

Carissimi fratres: Si valetis bene est, nos quidem valemus. Praeterire non possumus quin litteras ad vos mittamus quibus vestrae epistolae per PALAESTRAM LATINAM missae respondeamus. Magna nos quidem laetitia vestris litteris adfecti sumus ipsisque certiores facti sumus de vestra salute – Maxime gaudemus. Ob vestras PALAESTRAE LATINAE insertas compositiones etiam atque etiam vobis gratulamur gratiasque plurimas ob gratulationem habemus. Exemplum imitari curabimus. Vultisne ad certamen provocationem accipere? Si tempus fert atque vestra voluntas frequentius commercium faciemus epistulare ad mutuam omnium exhortationem. Semper in

gratia vobiscum esse volumus. Coletisne vos eandem amicitiam?

Quam jucundum colere domum ubi vitam egerunt martyres invicti, quos neque passiones neque mors deterruit! Rogate ut nostrorum fratrum virtutes imitemur exemplaue semper sequamur. Vestrum Litterarum Latinarum Professorum, H. Martija, nostro nomine salutabitur.

Valete – Vobis addictissimi.

## Iterum ad Martyrum Aetatem.

Cervariensi Communitate Missionariorum Claretianorum dispersa, Pater Emmanuel Jové cum quattuordecim Scholasticis tutum petebat locum. In itinere captos marxistae se missos eos

(1) Cfr. Pal Lat. núm. 59, pag 15

facturos promittunt si Deum execrentur. Missionarii una voce se hoc crimen non commissuros responderunt. Pater Emmanuel, qui Christi imaginem cruci adfixi secum portabat, jussus est eam in terram jacere atque conculcare. Haec propositio a Patre Jové vehementissime rejecta est. Tunc illi ira ardentis: tibi ergo — inquit — erit deglutienda. Ipsa imagine eum in ore vulnerare coeperunt. Tandem furore concitati plumbis intrinsecus Sacerdotem ejusque sodales percusserunt.

A. TROI., C. M. P.

### De Romano Pontifice.

Omnes scimus Papam esse Christi Vicarium. Romam, quae est Civitas Aeterna, habitat. Cardinalibus, qui sunt ejus consilarii, circumdatus est. Hi a Romano Pontifice eliguntur, atque septuagesimum numerum excedere nequeunt. Cum Pontifex e vita decedit, Cardinales successorem renuntiant. Ecclesia, ergo, ducem, qui eam gubernet, semper habebit. Nunc Ecclesiae praeest Pius XII, Pontifex electus die secunda Martii ann. 1939 post obitum Pii XI qui die decima Februarii ann. 1939 evenit.

Pius XII carissimus est atque veneratissimus Argentinis, eos enim visitavit ann. 1934. Tum in nostram venit nationem ut Legatus Pontificius atque magno Congressui Eucharistico internationali, qui Bonis Auris celebratus est, praefuit.

Oremus Dominum ut longum atque prosperum Pontificatum illi largiatur.

CAESAREUS LÓPEZ, C. M. P.

Villae Rosarii in Argentina.

### Vulpes et Ciconia.

Vulpes domum leporem portans, venit obviam ciconiae quam ad cibum insequenti die invitavit. Hora statuta ciconia advenit. Vulpes leporem non adtulit, illum namque jam manducaverat: obtulit autem ciconiae catinum juris liquidi plenum quod ob rostri longitudinem gustare nequivit. Paulo post ciconia, magna cibi copia capta, vulpem ad cibum invitavit. In animo autem habebat injuriam acceptam ulcisci. Vulpe ergo lagenam angustissimam cibi plenam exhibuit. Ciconia longo rostro cibum ex lagena educebat. Vulpes vero lagenae collum frustra lambebat. Haec tandem profecta est non cibi plena sed irae.

M. LATASA, C. M. P.

### Asine, asine.

Quadam die Adamus universa animalia vocavit ut ea nominaret. Ibi erant leones, et pisces, et oves cet. Tu nominaberis leo, tu ciconia, tu aper. Adcessit asinus et tum rudit. Adamus aurem ei pervulsit et dixit «asine, asine».

L. AZQUETA, C. M. P.

## *Exteris Sociis*

Vos omnes animadversos esse volumus, ne, cum syngraphas seu schedas nummarias (**cheques**) ad administratorem mittatis, propriam cujuscumque populi pecuniam in nostras pesetas transferatis, quod nummarii apud nos recusant; sed usitatas inter vos mittite pecunias vel, si mavultis — id quod nobis et vobis praestabit — eas in **dollares Statuum Foederatorum** convertite, nullo modo in **francos gallicos**, qui parvi apud nos habentur.

Pro unaquaque subnotatione sufficiat 1'40 \$ (**dollar**).



in Latinum  
 translata a R.  
 P. Ludovico  
 MARCOS  
 C. M. F.  
 Villae Rosarii  
 in Argentina  
 litt. Lat  
 Professore.


XXVIII

Sed ignari omne pessimo  
 leonis domo potiti fuerant.  
 Si tam atrocem beluam ad-  
 cesuram existimarent, non  
 ita placide, mehercule, ob-  
 dormirent.




XXIX

In aditu leo constitit, at-  
 que sopitos advenas terribi-  
 li salutatur rugitu. Subito ex-  
 pergefacti, membris metu  
 solutis, arma quaerit Titus,  
 dentes Melampus obfert.




XXX

Venator adducta fronte  
 clausoque alterutro oculo  
 plumbea grana explodit in  
 faciem instantis leonis: Me-  
 lampus in hostem inrupit  
 audax.



XXXI

Leo explosione territus fu-  
 gam capessivit; quem Me-  
 lampus audacter persequit-  
 tur.



# Bibliographia

**J. Hurtado de la Serna.** — *Antología graduada y fácil de la traducción latina.* — Madrid, 1930; pag. 396.

Egregius Hurtado recens nobis evulganda misit duo opera, quorum notitia forte ad PALAESTRAE LATINAE lectores jam prius pervenerit.

Primum volumen, in tres partes divisum, sequenti ratione ordinatur:

Prima pars continet:

a) Idiomatica seu formulas loquendi simpliciores ab auctoribus classicis excerpta;

b) nonnulla ex historiae sacrae compendio;

c) Publilii (non Publii, ut Hurtado scribit) Syri sententias;

d) varia de orationibus Latinis exempla; ex Ciceronis, Nepotis, Phaëdri, Vergilii, Ovidii operibus selecta ab Emm. Vargas Quintana litterarum Latinarum transacti saeculi gloria et ornamento.

Altera vero pars haec praecipue capit:

a) frusta selecta ex operibus Caesaris, Ciceronis, Phaëdri, Gellii, Livii, Nepotis, Horatii, Juvenalis, Ovidii, Plinii, Q. Curtii, Quintiliani, Sallustii, Senecae, Syri, Taciti, Valerii Maximi, Vergilii.

b) Horatii ad Pisones epistolam Hispanicè interpretatam atque breviter declaratam, ordineque logico inscriptam.

Demum tertia pars nihil est nisi index bibliographicus locuplex et selectus de his quae de Latinitate prodita sunt cum apud externos tum praesertim apud nos.

Quo sententias et classicorum frusta pueris faciliora redderentur omnia cum Hispanica interpretatione proponit auctor, quod tamen, si tunc, cum nec tempus nec studium Latinis litteris tribuendum subpeteret, tolerabile damnum, nunc, cum litterae Latinae pristinam apud nos renovant famam, nec tolerandum nedum fovendum. Melius enim est paulatim procedere, immo et insudare si opus sit, quam pede alieno progredi seseque miserrime falli. Non enim nisi sudatae debetur laurea fronti.

Ceterum opus famae clarissimi auctoris respondet, idque Hispani professoris haud sine alumnorum utilitate usurpabunt.

**J. Hurtado.** — *Vocabularios Latinos.* Madrid, 1930. Libr. E. Prieto Preciados, 48. Madrid.

Hujus vocabularii ope recte interpretari licet quidquid in exercitiis anthologiae, in collectione auctorum selectorum Patrum Schol. Piarum, in curriculo practico linguae Latinae a R. de Miguel ordinato, demum voces quae in opere «Janua linguarum» continentur.

Adcedit praeterea Vergilii Maronis supplementum necnon et vocabularium Hispanicum et Latinum continens voces a lingua Latina promanantes. Omnia nitidis characteribus expressa: desunt tamen syllabarum quantitates, offenduntque oculos frequentes typographorum lapsus.

**B. Laín García - V. Tena Mateo.** — *Historia y Lirica.* Selección de textos latinos. Zaragoza, 1939. pag. 128.

Hujus operis auctores alium sibi scopum haud proposuisse videntur, nisi alumnis ultimi cursus linguae Latinae scriptores praebere, quibus impense incumbant et a quibus dulcissimum Latinitatis nectar jugi ac ferventi studio delibare ac degustare possint.

Placita pro scholis mediae institutionis anno MCMXXXIV promulgata insecuti, Dres. Laín et Tena, in Caesaraugustae, ille Oscae civi, linguae Latinae praeceptores, praecipua ex Sallustio de bello Jugurthino, ex Tito Livio ab Urbe Condita, ex Q. Horatii Carminibus conlegerunt, eaque criticis editionibus aptare notulisque historicis et grammaticis ad calcem exornare curarunt. Quod tamen nihil obstitit quominus menda aliqua, sunt enim lacrimae rerum, inropsere.

Illud nihilominus haud sine utilitate emet cui munus docendi linguam Latinam fuerit commissum.

Opus ditatur perspicuo syntaxeos conspectu (p. 11-36) exemplis tantum tradito; longum enim iter per praecepta, breve et efficax per exempla.

Simplex de re metrica tractatus (pag. 117-125) opus mirifice claudit.

Conlectoribus gratulamur qui diligentia et labore nostram in re Latina inopiam levare curant, eisque, dum nova de litteris Latinis opera Palaestritis nuntiamus, omnia fausta liceat exoptare.

J. JIMÉNEZ, C. M. F.